14.

Q. D. B. V.

RES DANICAS,

PRAESIDE

CONRADO SAMVELE SCHVRZFLEISCH,

edisseret

IO. THEODORVS a RVMMEL,

Eqves Curlandus.

CVM PRIVILEGIO SEREN. EL. SAXON.

Disputatio XIV.

LIPSIAE, Apud NICOLAVM SCIPIONEM.
cIↄ Iↄc XCIIX.

I.

DANIA, *a* qvam tradere antiqvitatis causa volo, et pietatis debeo, reges olim ex Cimbris, *b* famam ex bello maximam habuit, et virtutis experimento Romanis Germanisqve, his etiam beneficio cognita, Saxonibus insuper necessitudine ac foederum societate coniuncta fuit.

a *Cum Daniae res scribere in animo habeo, nomen studebo prius eruere, qvod Ioannes Lanus Svaningus ad ultima retro tempora porrigit, ac refert ad A. M. 1910. Conveniuntqve hic cum Saxone Gralandico, et qvi hunc seqvitur, Ioanne Isacio Pontano, in qvantum uterqve historiam regum Danicorum a DANO primo huius nominis auspicatur: cumqve eo Ericus Daniae Rex in historica narratione de origine gentis Danorum, et Erp. Lindenbr. ub. hist. Dan. Reg. Ego certum habeo, seculo VI. a. N. C. commemorari, atqve eo alligo Gregorium Turonensem Hist. lib. 3. cap. 3. et Venantium Fortunatum lib. 7. qvi affirmant, Danos Galliam vastavisse. His subscribit Dudo Neustrius lib. 1. ac tradit* cum Duce Hastingo ferociter appulsôs esse qva suos tractus Francia protense exporrigit. *Praeter hos Danorum meminerunt ex Sec. IX. A. Fr. ad A. 808. 812. Scriptor vitae Caroli M. p. 276. seqq. Auctor fragmenti hist. Franc. p. 514. Sec. X. Witechindus Monachus lib. 1. A. Sax. S. XI. Adamus Bremensis H. E. lib. 1. cap. 35. et de situ Daniae p. 138. cuius descriptio omissa est in recensione Andreae Severini Velleii. S. XII. Sigebertus Gemblacensis ad A. 517. Sed hic etiam Daciam extulit ad 482. et ante eum* S. X. *Dudo, atqve eadem imitatione Lamb. Schafnaburg. ad A. 1265. Daciam, inqvam, non Ripensem, [illegible] mediterraneam illam, de qva vid Ptolemaeus Geograph. lib. 3. cap. 8. [illegible] nd. de reg. success. p. 39. sed Daciam, qvatenus Cimbricam Chersonesum et Scandinaviam, ac intermedias insulas ambitu suo comprehendit, potestqve dici Dacia Normannorum, qvam*

usu

usu aevi sequioris eadem scriptura indicavit Gabrielus Malmesientensis lib. 9. cap. 11. Nec tamen nescio, plurimum ea denotare saltem Cimbricam Chersonesum, qvod ex Felice Fabri et Aenea Sylvio praeclare demonstrat Ioannes Meursius ad Aelnothum not. in prooem. Seculo XIII. *Saxo Sialandicus, et Abb. Stad. ad A. 768. 804. seq. Detmarus Merseburgensis Imp. Henrici II. aeqvalis, nunc Danos, nunc Danaos appellat Chr. lib. 2. p. 24. 25.* Si *Danaos, qvod orti nuncupatiqve sint a Danais, populo Graecorum, nos minime applausores habet: qvi qvidalias videatur Dudoni, qvi saepe mythicon aliqvid venditat. Et scriptor vitae Caroli M. Daniscus pro Dano dicitur, p. 276.* Sed *ut maxime Dani notio serius coeperit, tamen Codani multo prius in usu atqve sermone fuit, veluti documento est sinus Codanus apud Pomponium Melam. lib. 3 cap. 6. Plinium lib. 4. cap. 13. Est enim ibidem Codanus, qvi nunc Danicus, sive Balticus, Io. Is. Pontanus rer. Dan. lib. 1. a principio: origines vocabuli explicat Philippus Cluverius in Germania antiqva lib. 1. cap. 26. p. 184. et lib. 3. cap. 37. p. 650. Inprimis autem familiare fuit antiqvitus Normannorum nomen: hac notione apud scriptorem anonymum vitae Car. M. Nortmannia pro Dania usurpatur, p. 276. Qvod dum apud se reputabat Adamus Brem. lib. 1. H. E. cap. 13. haud tacere voluit, istam loqvendi rationem a Francorum scriptoribus traditam fuisse. Nec tantum illa Dani, sed et omnes, qvi ultra Daniam colunt, populi continentur. Eginhartus in vit. Carol. M. cap. 12. et ex eo M. Adamus lib. 2. cap. 9. et in descript. Dan. p. 144. collat. lib. 1. cap. 13. Qvanqvam interdum soli Dani hoc nomine exprimantur apud Adamum lib. 1. ca. 40. Abb. Stadens, col. 75. Io. Aventinum Annal. Boi. lib. 4. p. 280. idqve stylo Carolingici aevi: V. Fragment. Hist. Fr. p 514. nec secius aliqvando speciatim eo denotantur Norvvegi ap. Bremens. lib. 2. cap. 43. Ab. Stadens. ad A. 984. et 1029. Atqvi negat de Sveonibus Phil. Cluverius lib. 3. Germ. ant. c. 41. hoc vocabulo separatim appellatos: sed nihilominus appellavit ita Eginhartus in vit. Car. M. cap. 12. qvem perperam castigat et corrigit Cluverius: in qvam rem conf. Ad. Bremens. H. E. lib. 1. cap. 13. et lib. 2. cap. [illegible] Qvinimo maiori ambitu sumit Luitprandus, et Russos qvoqve hoc vocabulo comprehendit. V. lib. 1. cap. 3. lib. 5. cap. 6. conf. Reineccius ad Poetam Saxonicum anonymum lib. 2. p. 21. Neqve hic unqvam Normannia externo-*

norum est confundenda cum Normannia Aboriginum; illam signat Sigebertus ad Anno 888. et collocat adeo Normanniae externae, qvatenus provinciae vere primum atqve iure appellatae, epocham. Conf. idem ad Anno 1204. qvo Philippus Galliae rex eam eripuit Anglis, ignavo interim ac luxu deliciisqve soluto Ioanne Angliae rege, ut colligitur ex Westmonasteriense ad Anno 1204. edit. Francofurt. Praeterea eo [videatur Io. Is. Pontanus Hist. Dan. lib. 2. p. 58. et lib. 4. p. 117. Nil addo de nomine Danigenarum, qvod occurrit in A. Fr. Pith. ad A. 850. Danemarchia non legitur in ullo monumento Carolingico, aut Saxonico Latino veteri eiusdem temporis, licet verbis Latine paria facientibus exprimatur. Sic Ado ad Anno 804. de Godefrido Danorum rege affirmat seqventia. Ibi per aliqvot dies moratus, LIMITEM REGNI sui, qvi Saxoniam respicit, vallo munire constituit. *De Hemmingo Godofredi patrueli memorat Adamus Bremensis H. E. lib. 1. cap. 13.* fluvium Egdoram regni terminum accepisse. *Conf. lib. 2. cap. 8. et lib. 2. cap. 39.* Marchiam trans Egdoram *nominat, qvasi limitem versus Danos: disertius A. F. Pithoeani Marcam signant, ad Ann. 825. ex qvo seqviori tempore factum est, ut Marchia Danorum in Danemarchiae compositionem desineret. Vid. amoe. [illegible] infra.*

(b) *De his plurima prodiderunt scriptores Romani, data occasione belli cum populo Romano gesti, qvod literis mandaverunt. Florus in ep. lib. 3. cap. et in hunc Io. Camers, auctor epitomes Livianae lib. 65. 67. 68. Sallust. in bell. Catilinar. num. 59. et in eum B. Rhenanus, ac Io. Is. Pontanus: item commentatores in bellum Iugurthinum ad verba:* per idem tempus adversus Gallos. *His addantur Val. Maximus lib. 4. cap. 7. Strabo rer. Geograph. lib. 7. Plinius H. N. lib. 17. cap. 1. et magno numero alii, inter qvos sunt Velleius Paterculus, Sextus Iulius Frontinus, Appianus, Eutropius, Paulus Orosius, Eusebius, ex recentioribus Io. Aventinus lib. 1. annal. Boi. Andreas Angelus Chr. Holsat. lib. 1. cap. 1. Io. Stumphius de Helv. lib. 4. cap. 11. Ioannes Isacius Pontanus rer. Dan. Hist. lib. 1. Antonius Heimreich. Chron. Nordfres. p. 22. 23. De cetero qvantum ad Daniae scriptores, unus instar omnium esse potest Albertus Crantzius non Danus, rerum septentrionalium insignis scriptor, cuius exstat Dania, postqve eum David Chytraeus, qvi et multa diligentia seqvitur historiam Crantzianam, et praeclare recensit res Septen-*

trionales Saxonicasqve, cui qvantum debeat Thuanus, ex plurimis apparet, in qvibus saltem dictionis mutata forma est, servatis alioqvin rebus, et in ipsius historiae contextum receptis: tum vero longo ante hos temporis intervallo Saxo Sialandicus, qvi vicit omnes sui aevi, et pulchriori, qvam qvisqvam alius ex media aetate, stylo complexus est historiam suae gentis: tantummodo obiicitur, qvod iusto plus amplexus fuerit Eddae et Scaldae monumenta, qvippe qvibus non tam historia, qvam poesis Islandica continetur. Sed excusat illum Petrus Ioannes Resenius, ICtus Hafniensis, et patriae antiqvitatis gnaviter peritus, in praefatione de editione Eddae. Nec immerito scripsit Io. Is. Pontanus, Saxonis Grammatici, cum ob barbariem seculi, qvo vixit, admirabilem esse eruditionem, tum recondita ubivis observata documentaqve, si vel maxime etiam commemoret qvaedam famam et fidem excedentia, *lib. 1. p. 12. Et hic non omittendus est Ioannes Lyschander solers pariter ac doctus antiqvitatum Danicarum indagator, apud Marc. Zvv. Boxhorn. Orig. Gall. p. 97 supplet tamen saepe hunc, corrigit alios Andreas Huitfeldius, ex qvo et Saxone Grammatico omnem prope historiam suam composuit Io. Is. Pontanus, qvod sicut lectio eius accuratior facile prodit, ita non diffitetur Ioannes Ianus Svaningius, qvi eum vocat* Huitfeldium Latinum. *Sed in his qvoqve est Ioannes Meursius laudandus, qvi multa cum cura atqve diligentia res Danicas tradidit. Erpoldus Lindenbruch historiam regum Daniae ab anonymo scriptam perduxit ad Christianum IV. praeterea edidit scriptores rerum septentrionalium, unde magnus ille Grotius profecit multum, et praeter monumenta alia Danice scripta adhibuit conficiendis prolegomenis Gothicis, non vani laboris indicio, qvod Gothico regi probarentur. Fuerunt etiam inter ipsos Daniae reges, qvi et scirent exqvisitissime Danorum res, et literis mandarent. Illuc pertinet ipsius Adami Bremensis, qvi qvod ad septentrionem spectabat, suo seculo omnium optime tenuit, confessio lib. 1 cap. 40. dum affert seqventia.* Audivi ex ore veracissimi regis Danorum Sveni, cum nobis stipulantibus atavos suos numeraret, *etc. conf. eius historiae prooemium. Huc sua laude venit Ericus Wratislai VII. Ducis Pomeraniae filius, idemqve Anno 1396. electus Daniae rex, qvi contexuit historicam narrationem de origine Danorum, et Regibus eiusdem gentis, et desiit in A. C. 1288. Absurdus est Volf-*

gan-

gius Lazius, qvi Cimbros ex Cimmeriis, qvatenus his Francorum gentem denotat, descendisse, nullo gravi auctore probat. allegans Pseudo-Berosum, et fabulas pro vero: de gentium migrationibus lib. 3. de Cimmer. Non qvod negemus, Francos esse Germanos, qvod alibi evicimus, et inter alios astruxit R. Reineccius in Orig. Franc. sed qvia hi diversi populi sunt, et fuerunt olim, ac si maxime unam originem ultimam habuerunt, non tamen illi ab his prodierunt, sed veluti distinctae propagines in distinctas gentes populosqve abierunt. Vt hic non afferam diversos imperiorum utrinqve fines, dissimilia ingenia ac mores, discreta domicilia atqve disiunctas sedes, demum tot distinctas, et multum ab se recedentes migrationes. Illud vero non praeter rem observant multi, et satagunt colligere ex Ptolemaeo, SAXONES Cimbrorum esse sobolem. V. Petrus Albinus in Chr. Misn. de adventu Saxonum p. 3 3. Conf. Erpold. Lindenbroch in Chron. Car. M. col. 56. 57. Neqve hic officit libertati et honoribus Danorum, Teutonicos, ut Cimbri erant, habere genitores, perinde ut idem non officit dignitati Gothorum. Multo minus vero id derogat, qvod [illegible] temporibus ambitu Germaniae magnae continerentur. [illegible] sane hic testimonium est, qvod adduceri [illegible] ex I. et II [illegible] auctoritatis multae, ac praeclaros fide, qvi Cimbrorum inter Germanos meminerunt. Inter alios Ptolemaeus et Pomponius Mela: Strabo etiam conceptis verbis ἔθνη Γερμανικὰ appellavit, lib. 7. p. 331. Ed. Basil. Idem et approbat Posidonii coniecturam, qva, Graecis Cimmerios dictos fuisse, verosimiliter arbitratur, repetito indicio Lazianae vanitatis, qvasi Cimmerii essent deducendi a Francis, qvorum ne nomen qvidem Strabonis aevo cognitum erat, ut supputare qvodam ineptae opinionis debeat, qvi contendunt, ante III. S[illegible] tradi[illegible]um de Francis, cre[illegible] aut [illegible], si apud se expendant originum atqve migrationum gentium argumenta. Assentiuntur Vellejus Paterculus, Tacitus, Iustinus, et complures, qvi Cimbrorum [illegible] perpetuae memoriae commendarunt. Nec est magni momenti, qvod Sallustius in bell. Iugurth. Hieronymus in ep. ad Geront. Paulus Orosius hist. lib. 5. cap. 16. Cimbros numerat inter Gallos. Nam qvae non inscita Castilionei observatio est, Gallorum voce laxius utuntur, qvam proprie ac distincte uti ea convenit. Spectatqve huc interpretatio commentatoris in Iuvenal. Satyr. ult. vers. Bardia-

diacus iudex datur haec punire volenti. *Ubi Bardos canit Gallos, et ibidem alii Bardiacum reddunt Gallicum, Eliae Vinetus videndus: Atqvi Bardi etiam fuerunt apud Germanos, qvod indicio eſt, interpretem commentatorem Gallorum notione hac qvoqve Germanos complexum fuiſſe. Itaqve diſtribute et explanate locutus eſt Eutropius, qvi libro V. nuncupat Germanorum Gallorumqve gentes, Germanis Cimbros et Teutones, Gallis Tigurinos et Ambronos aſcribens. Veruntamen vero non protinus ex eo ſeqvitur, Cimbros imperio Germanico ſubiectos fuiſſe, ut nuper oſtendimus peculiari diſſertatione de rebus Sveogothicis. Qvanqvam et de Danis, cum vetuſtiſſima ſecula reſpicio, illi alia ſuppetant argumenta, qvi tradunt, Daniam imperio Teutonico aliqvando obnoxiam fuiſſe.*

2. Ceterum Carolino aevo, unde certa et continuata Regum Danicorum ſeries initium habet, ad belli gloriam pariter et augendum regnum contendit Godefridus, rex inſita animi magnitudine, multisqve aditis periculis clarus, et qva prudentia erat, infringendae Francorum potentiae adeo cupidus, ut circumſpiceret occaſionem pugnandi cum Carolo, atqve oſtenderet, tantum ſibi eſſe animi ad provocandum, qvantum ſpei ad vincendum imperatorem tantum, qvi tot Europae gentes nationesqve hactenus vicisſet. Cumqve his initiis ea cauſa ageretur, Saxones VVilzosqve pro libertate hortabatur, et adducto in non vanam dominatus ſuſpicionem Carolo, rebus adhuc integris, invitabat ad foedus, haud expectandum ratus, usqve dum ex deſperatione capiendum conſilium ſit, qvod et privatim ſeqvi poenitentia, et publice ſervile obſeqvium poſſit. Haec talia ſvadentem, et reſiſtere paratum Francis, et oppugnare avidum ſuſtulit patricidae manus, regem, ſi fortitudo atqve conſtantia reputantur, maximum, et ſi vixiſſet, praecipue momentum ad repellendos Francos, qvi iam ubiqve formidabiles eſſe coeperant, allaturum, certe ſaltem effecturum, ut

ut vires eorum pluribus locis diſtractae, ad irruptionem minus validae eſſent: ſed poſtqvam regis occiſi allatus rumor eſt, non mediocriter res Danorum labefactatae ſunt, neqve perinde eos periculum affecit aut clades, qvam dolor ex indigna iſta nece ortus, ſiqvidem tunc eo rege privati erant, cuius famae et multum tribuebant Franci, et ex qvo Dani inprimis magnam felicitatis ſuae partem viresqve regni pendere exiſtimabant. *d.*

c. *Saxoni Gotricus qvaſi Dei plenus, eſt, non raro talium nominum a Deo rebusqve divinis impoſitorum apud Cimbros Gothosqve exemplo: qvamvis in monumentis Carolingicis illo ipſo aevo, qvo vixit, haud aliter, qvam Godefridi ac Godefredi, ſive Gotofredi nomine efferatur. A. Fr. ad A. 782. A. 808. A. 825. Scriptor vit. Car. M. p. 266. Nec ſecius Ademmus ad A. 808. Eginhardus cap. 14. Ado Viennenſis ad A. 806. ac Regino ad A. 782. huius enim anni rationibus annalium Fr. Pithoeanorum reſpondent. Adamus Bremenſis Gotafrid extulit. lib. 1. H. E. cap. 13. Abbas Vrſpergenſis Gotefridi ſcriptum non ſervat ad A. 808. Abb. Stad. ad A. 804. Godefrid retinet, uterqve Carolovingici aevi ſtylum ſecutus. Tametſi autem ab antiqviſſimis temporibus reges egregios, et ſua virtute validos Dania habuit, tamen dolendum eſt, rudibus iſtis ſeculis defuiſſe, qvi ſcriberent, optandumqve, extitiſſe Cimbros, qvi aetate Livii de Cimbris non poeſin, ſed iuſtam hiſtoriam ſcripſiſſent, qvod non temere in mentem veniat ſuſpicari, Romanos plurima praeteriiſſe, aut detraxiſſe veterum Cimbrorum laudi. Ex Floro ſane colligas, maxime Martios reges habuiſſe, argumento Belei Cimbrorum regis, ita enim cum Iodoco VVillichio legimus, qvamvis Bocorix legatur apud Ioannem Minellium, qvi ut ſteterit in acie fortiter, et pugnaverit ad extremum usqve ſpiritum adverſus Romanos conſtanter, et demum ceciderit non inultus, graviter affirmat idem lib. 3. c. 3. cp. H. R. et nos trademus ſingulari diſſertatione de Theutobocho, qvanqvam et hic ab aliis aliter ſcribatur, ut obſervat Andreas Schottus in Oroſii lib. 5. c. 16. annot. p. 401. Pontanus lib. 1. rer. Dan. p. 5. Apud ſcriptores Francos primo omnium ſub nomine Danorum regis obvius mihi fuit Chochilaichus, qvi apud ſcriptores Danicos eſt Gotilacus, Theoderico, cum viveret, regi Francorum infe-*

B ſtus,

festus, et re navali potens: Gregorius Turonensis Hist. lib.3.c.3. Neqve hoc extincto, mutarunt Dani animum, et dum domestica fastidiebant, externarum rerum desiderio aegre qvieverunt, atqve ingenio otii impatiente effecerunt, ut Gallorum Belgarumqve respublica veluti in salo aliqvo fluctuaret. Nam aliqvanto post Gotilaci obitum effusi iterum, Francorum agros vastaverunt, et praeliis utrinqve consertis, inusitato impetu, collectisqve interdum ex fuga viribus, pugnaverunt, ut gravi carmine enarravit Venantius Fortunatus. Ex eo formula remansit, qvam monstrat Cippus VVinburnensis; PER MANVS DANORVM PAGANORVM OCCVBVIT. Non enim satis erat, infestasse tot ditiones, et lacessivisse Franco-Merovingorum, qvos Venantius respicit, reges, Guntranum, Sigebertum, Hulfericum, nisi Anglos pariter atqve Scotos *aggrederentur, illorumqve regem Etheleredum caederent, ut signat inscriptio VVinburnensis, hos etiam classe peterent, qvod habent annales Pithoeani ad A. 812. Propterea annales Fuldenses minime fallunt, qvum tradunt,* gentem Danorum esse fortissimam, *et ne qvid ego in laudem antiqvae gentis comminisci videar, hoc titulo elogioqve ornant, qvod* nunqvam antea in aliqva munitione aut capta, aut superata audiatur: *Saxo eo progreditur, ut indolem animorumqve egregiam vim* ab ingenita Danico sangvini virtute, *derivet, lib. 6. hist. Dan. et passim eorum fortitudinem extollat, praesertim in bellis contra* Slavos. *Abbas* Stadensis *ad A. 988. Danos impense laudat propter victoriam a* Saxonibus *deportatam, pulchre etiam ex* Sigeberto *Gemblacense Iacobus Meyerus, in annalibus Flandricis ordinat seriem urbium vicorumqve, a Danis in Belgica direptorum, ab A. 820. 851. 861. 863. usqve ad A. 882. ubi* Sigebertus *affirmat, Franciam, Lotharingiam, Flandriam populatos, totam fere Bataviam in cineres ac favillas redegisse. Conf. Ferreolus Locrius chron. Belg. ad A. 880. Cur tantos animos sumpserint Dani, explicat Crantzius in Vandalia lib. 2. c. 25. et in Norvagia lib. 1. cap. 39. Ad haec reddit rationem doctissimus, idemqve rerum septentrionis peritissimus, Arngrimus Ionas peculiari epistola ad Olaum VVormium, virum perinde exqvisitae eruditionis ac multae lectionis, qvi approbat, reges Danorum SKIOLDVNGOS appellatos esse, qvod clypeo atqve armis ante ceteros valerent, indicio originis vocabuli* Skioldur, *qvippe non aliam, qvam clypei notionem prae se ferentis. Et*

qvan-

qvanqvam affertur numus cusus in hanc formam : EIECTIS NORMANNIS ET RECEPTA ANDEGAVIA : Ioannes Palacius Aq. inter lilia p.197. ed. Venet. tamen 1. non recte refertur ad aetatem Caroli Calvi ; non enim respondet nota annorum DCCCLXXIV. numo incisa : siqvidem altero post anno, id est, DCCCLXXV. Carolus Calvus Imperator factus est : A. Fr. ad h. A. 2. Andegaviae vocabulum non est ex usu curiae Carolinae. 3. et qvanqvam alioqvin constat sibi historia, et respondent acta, tamen ratio temporis non respondet : nam anno 874. qvem nota incisa indicat, recepta est urbs Andegavensis. Sigebertus ad A. 875. Aimoinus de gest. Francor. lib. 5. cap. 31. Crantzius Norvveg. lib. 2. cap. 7. Neqve insolens est Palatio, numos adducere contra historiae numariae leges, qvod de multis aliis eius evidentissime singulari libro conficiemus. Illud vero saltem hic addimus de vocabulo Danemarchiae, qvanqvam tali compositione in nullo monumento Carolovingico reperiatur, nec in Saxonico eiusdem, aut proximi temporis, extare tamen apud Reginonem, seculi X. scriptorem, qvi ad A. 884. DENEMARCAM signat, edit. Francof. et Argentorat. Sed et occurrit Dania Cismarina, per qvam Iutia intelligitur, Abb. Stadens. ad A. 948. estqve ipsa Chersonesus Cimbrica, Crantzius Sax. lib. 1. c. 1. Demum Nordmanni plurimum differunt ac distant a Nortliudis, sive Nortleudis, qvos utroqve modo enunciat scriptor anonymus vit. Car. M. p. 244. et 259. Hi enim Nordalbingi alias audiunt, Io. Is. Pontanus lib. 4. rer. Dan p. 92. conf. Alb. Crantz. d. loco : nomine sine dubio ad situm magis Septentrionalem denotandum Saxonibus, qvi trans Albim colunt, imposito, alienus enim hic est ille usus, qvo homines, sive Leude iuxta veteris Tiotismi formam, in historia, praesertim Alemannica, pro fidelibus sumuntur. V. Goldast. tom. 1. part. 1. rer. Alem. p. 132. siqvidem Transalbini adeo non servaverunt Carolo fidem, ut qvoqve propter hanc violatam in Franciam transportati fuerint : A. Pithoeani ad annum 804. collat. cum A. 798. De sede metropolitana Nordalbingorum Hammaburg, qvae Ansgario attributa est, extat diploma Gregorii IV. Pontificis, cuius subscriptio certe falsa est, et minime cum scriptura curiae Pontificum istius aevi consentiens, prout allegatur a Io. Is. Pontano hist. rer. Dan. lib. 4. p. 98. Itaqve hanc ob causam omissa consulto et iusta ex causa est a Ioach. Io. Madero in sylloge diplomatum Ad. Bremensi additorum, p.

B 2 187.

187. qvi multo circumspectius atqve ex recensione Erpoldi Lindenbruchii, exhibuit diploma Gregorianum. Atat illa Transalbinorum civitas, sive Nordalbingorum metropolis, alio nomine, et priusqvam ornaretur dignitate sedis metropolitanae, dicta est Hochbuchi, sive Hochburi, A. Fr. Pith. ad A. 810. Abb. Stadens. ad A. eund. et A. 833. Adelm. ad A. 810. collat. diplomate fundationis Ludovici pii A. 834. promulgato. Errant vero, ut in transcursu dicam, qvi Hammaburg a Iove Hammone dictum putant: Ham enim apud Saxones et Fresos sylvae aut saltus, non idoli, significationem habet, iudicio Holsatiae qvondam maxime sylvestris, ut per fabulam qvidem, sed huic negotio convenienter et recte enarrat Abb. Stadensis, ad A. 917. ex qvo nomen Holsingorum ortum est, ap. Pith. Annal. ad A. 852. de loco Holdenstein vid. Urspergens ad A. 804. qvod scriptor vit. Carol. M. expressit. Ondustetin, p. 266. neqve melius existimat Alb. Crantzius, qvi ab Hama pugile perperam deducit, l. 1. Sax. c. 11. conf. H. Meib. ad Chron. Marcan. Levoldi a Northof. p. 44.

d *Summa huius commemorationis est in A. Fr. Pith. ad. A. 809. et 810. scriptor vit. Car. M. p. 276. abb. Stadens. ad A. 804. et 810. Saxon. hist. Dan. l. 8. inprimis Pontanum hist. eiusd. l. 4.*

III. Post Godefridum regno praefuit Hemmingus, *e* Princeps moderatus et perspectae probitatis, qvi vitam qvidem infra belli gloriam, at certe sinceram innoxiamqve egit, et pacem usqve eo in qvaestu habuit, ut qvavis honesta conditione faceret, et curam atqve studium impenderet, uti facta constantissime servaretur, et si qva finium regundorum controversia erat, iudicio arbitrario rectissime finiretur. His prospero feliciqve eventu actis, decessit Hemmingus, hoc vehementiori omnium doloris sensu, qvod idem eius vitae finis, qvi belli civilis initium esset, excitatis in mutua odia animis, ut iam in visceribus regni haereret malum, nec prius desineret, qvam exitio auctorum, qvi sive temeritatis suae, sive discordiae poenas dabant, et qvum pacem concordiamqve inter se colere potuissent, praelio congressi, mutua pernicie se conficiebant, victuri ad gloriae aeternitatem proceres, si benigne se atqve comiter habuissent

in-

invicem, et qva decet fide, ſua ac regni negotia tractaviſſent: nunc qvum multo ſecius ac praeter officium facerent, resqve omnium in magno diſcrimine verſarentur, tandem exemplo patuit, viciſſe cauſam Anulonis, *f* forſan ut hoc indicio conſtaret, non aliam eſſe regni Daniae rationem, qvam ut ab uno adminiſtretur. Itaqve Haraldus et Ragenfridus, *g* qvi Anulonis partibus ſtuduerant, meliore belli fortuna votorum compotes effecti, regnum periculo factionibusqve ereptum, conſenſu atqve gratulatione omnium ſuſceperunt: neqve in perturbatores, qvi vita incolumi e praelio exceſſerant, gravius conſultum, et prudentiae datum eſt, qvod ſeverior cognitio omitteretur: adeo victoribus ſatis erat, poſt diſſipatas hoſtium vires, reſtitutamqve tranqvillitatem publicam, accepiſſe regium inſigne, et principem in republica locum. Verum tegebatur ſpecioſe ultio, qvum adverſa pars occulte animum intenderet ad ulciſcendum, et ad Godefredi filios *h* converſa, qvid iniuſte amiſiſſent, exaggeraret, atqve hunc in modum concitandae ſeditioni omnem operam conſiliumqve afferret. Illud vero ad Haraldi culpam pertinebat, qvod Ragenfridum vehementer exagitaſſet, ac cupiditati ſuae indulgens, omnem huius dignitatem atqve opes ſubvertere allaboraſſet, non paſſurus ſocium, qvando in ſpem venerat poteſtatis ad ſe unum deferendae, repetito argumento illius, qvod modo affirmavimus, in regno Daniae non eſſe ſimul ſociatam potentiam concordiamqve. Igitur tumultu orto in exilium actus, venit ad Ludovicum Pium, qvi eum honorifice acceptum, beneficio trans Albim auxit, atqve ad ſacra Chriſti adductum inſtitutumqve, cum coniuge et magno Danorum numero myſteriis initiandum curavit, qvod ſingulare et inter omnia fortunae munera maximum habuit Haraldus, primumqve id et feliciſſimum initium fuit, regum Daniae ad verum Dei cultum condocefactorum.

e. *Saxo, et scriptores Danici inter Godefredum et Hemmingum interserunt Olaum, Godofredi filium: nos secuti scriptores Francos, Hemmingum Godofredo successisse scripsimus, qvod partim auctoritatibus munire, partim iudicio factorum colligere possumus. In annalibus Pithoeanis ad A. 810. opinio nostra confirmatur his verbis.* Godofrido Danorum rege mortuo, Hyemmingus filius fratris eius in regnum successit. *Eadem verba retinet Adelmus ad A. 810. et repetit scriptor vitae Carol. M. p. 277. Nec secius scribunt Vrspergensis, atqve ex eo, ut alias solet, Abbas Stadensis A. 810. Martinus Crusius lib. 1. part. 2. annal. Svev. filium Godefridi nominat, forte imitatus Sigebertum ad A. 809. qvi ex monumentis Carolingicis iudicandus erat. Crantzius eo multo cautior, in medio relinqvit:* Hemmingus, *inqvit,* hunc regno excipit, filius, an exterus, non memoratur: *Dan. lib. 4. c. 4. Credo ferme sui oblitum esse Crantzium, ut qvi nescire non debuerit, Hemmingum non exterum, sed indigenam, nec Godofredi filium, sed patruelem fuisse. Qvod significatione eventorum porro licet declaremus. Nam Godofredi nepos instituit repetere regnum, velut iniuste ablatum, A. Pith. ad A. 812. Nec alia filiorum mens fuit, qvum regno Haraldum privarunt: Abb. Stad. ad A. 826. conf. A. Pith. ad A. 815. et 825.*

f. *A. Fr. Pithoeani ad A. 812. Adelmus monachus ad A. eundem, Abb. Stad. ad A. 817. Ex qvo colligas partim Primorum in regno Daniae praerogativam, partim potentiam, partim proprietatem regni, qvod, ut tempora tunc moresqve erant, electione constabat, vel solo indicio successionis Emmingi ex eo titulo, qvanqvam et multa alioqvi ratio generis esse, et procerum ab stirpe regia editorum iudicium eo plurimum valeret, ut documento est Anulo, aliis Amulo, qvi autoritate et suffragio suo inprimis Haroldum et Reginfridum provexit in regiam sedem. Cuiusmodi illustri dignitate functi multum erant supra ordinem eqvestrem: non secus ac Edelingi, unde reges Germanorum creati sunt, qvorumqve meminit post Paulum Diaconum H. Langob. l. 1. c. 21. Nithardus hist. l. 4. p. 478. et Ad. Bremens. H. E. l. 1. c. 5. longe supergressi sunt Nobiles, qvi hodie appellantur: olim enim hi non Edelingi, sed frilingi, liberi homines, ingenui, et seqviori tempore ministeriales, milites, militares, servi, servientes, famuli, Knaphii dicebantur, qvod cum ex plurimis monumentis, tum ex variis diplomatis ostendi evincique potest. Conf. Reineccius ad poet. Sax. anon. l. 1. p. 13. Goldast. T. 1*

part.

part. 1. rer. Alem. p. 133. Meibom. ad Chron. Marcan. p. 40. Nam vix satis accurate in hoc negotio versatur Ioannes Iustus VVinckelmannus in notit. vet. VVestph. p. 203. qvi Frilingos aeqvat Baronibus, qvos Philippus Cluverius accenset burgariis sive plebeiis, V. Germ. antiq. l. 1. c. 15. p. 103.

g. *Duos de regno contendisse memorat Sigebertus ad A. 811. qvos nominant A. Fr. ad A. 812. Vit. Carol. M. p. 279. Abb. Stadens. ad A. 817. et ibidem de regibus Haraldo et Ragenfrido, qvi vulgo multum commutatis literis scribuntur, ille etiam Sigeberto Hariolus ad A. 815. interdum Herialdus, aliqvando Herioldus apud Adelmum et in monumentis Carolovingicis, Abb. Stadensi Danicisqve scriptoribus Haraldus: hic Saxoni Grammatico Regnerus est, l. 9. ed. Francof. qvo vid. Pontanus hist. l. 4. p. 96. Ne nunc addam, qvod nec Ragenfridus iisdem apicibus semper exprimatur, ab Heraldo, qvi publicam qvietem turbaverat, ambitioso et ad autoris damnum pertinente consilio eiectus, regnandiqve consortio privatus, A. Stad. ad. d. A. cuius facti memoria cum tanta invidia fuit coniuncta, ut Godofridi filii susciperent negotium deturbandi Haraldi, et perducerent ad optatum exitum, Haraldo autem ista calamitas proficeret ad salutem aeternam, ac ad vitae constituenda subsidia, a Ludovico pio beneficium in Nordalbingica fratri eius Horico Rustria Fresonum impertiretur. Abb. Stad. ad A. 826. atqve ex eo Pontanus in Haraldo et Regnero.*

IV. Dum ita res in Dania turbantur, de remedio cogitat Ludovicus pius, et restitutionis Haraldi consilium init, *h* cumqve hic ob tot structas insidias et pericula, qvae domi imminebant, inceptis desisteret, contentus vivere in tuto ac procul armis, eam causam, nec vano exitu, agendam suscepit Horicus, qvi Danis Ericus est, idemqve Haraldi regno extorris frater, atqve ob recuperatum regnum felix, et verae religionis in Daniam invectae post Deum autor, *i* sed cuius in reliqvis fidem ac voluntatem maxime suspectam habuerunt Dani, siqvidem haud multo post ad pugnam egressus, fortiter ac totis viribus dimicans cecidit, nihilo meliori fortuna copiarum hostilium, qvarum ductor Gudure, Princeps Normannus, *k* pari fato nec inultam mortem oppetivit, tanto qvidem dispendio ac regii generis clade, ut nemo iam praeter Horicum iuniorem

ex

ex ea ſuperſtes eſſet. Isqve ad Godefridi ſtirpem / initia refert ſua, et avitae ſucceſſionis, qvaliscunqve etiam fuit, ordinem hic denuo praebet, recepto legitime regno, qvod iniuria praereptum fuerat, et poſt multas Chriſtiani nominis vexationes, emendato ingenio, ac amplificata illius qvoqve dignitate egregius, qvi dicitur habuiſſe filium pariter et ſucceſſorem Lodnecanutum, *m* inter reges maximos numerandum, ſi patris exemplo animum ad religionem doctrinasqve optimas applicaviſſet: qvanqvam hic variant interdum annales, ſcriptoresqve Franci multum abeunt a Danis, et ſaepe tempora ac nomina aliter recenſent.

h *A. Fr. ad A. 815. ſcriptor vitae Ludovici pii Pithoean. p. 363. Comites Saxoniae atqve Abotritos ſubſidio ei miſſos tradit, et ſimul exponit cauſam irritae iſtius expeditionis. Sigebertus ad A. 815. et 816. Abb. Stadens. ad A. 826. Saxo Grammat. l. 9. p. 158. edit. Francof. Albertus Crantzius aſſerit, Saxonicis armis reſtitutum qvidem, ſed mox iterum a Regnero victum aufugiſſe: Dan. lib. 4. c. 10. et l. 5. Svec. c. 2. affirmat, usqve in Iutiam ope Saxonum perveniſſe. Illud vero nullo vero documento confi ere poteſt Crantzius, Haraldum vel ad tempus auſpicio Francorum, ductuqve Saxonum in Daniae regnum reſtitutum fuiſſe.*

i. *In compendio Ab . Stadens. ad A. 846. atqve ex hoc Pontanus, qvi hinc probat, Moguntiae, urbe Germaniae primae, ſacris initiatum l. 4. Hiſt. Dan. in Erico I. Refertqve Stadenſis, eum condidiſſe Slesvvici templum. Saltem confitetur Saxo, Germaniam prius, qvam Daniam fuiſſe Chriſtianam l. 8. p. 149.*

k. *Varie ſcribitur, Guduym in A. Fr. ad A. 854. apud Saxonem Guthormus, l. 9. Hiſt. Dan. Alb. Cranz. Gutorinus l. 4. Daniae c. 12. Pontanus in Erico I. Gothurnum poſuit: Ericus Daniae Rex Guthorum regem Norvvegorum vocat, ſignificatione laxiore, aut more inſtitutoqve ſeqvioris temporis, qvod ſignat Abb. Stadenſis ad A. 984. Erpold. Lindenbruch appellat Guttorum: nos exemplo Stadenſis extulimus Gudure, ad A. 858.*

l. *Ericus iunior, ſive cognomento Barn, item puer, ex Chriſtianae religionis oſore eius defenſor factus, ap. Stadenſem d. l. Arnoldum Hvitfeldium hiſt. Eccleſ. ad A. 860. Pontanus in Erico II. Erpold. Lindenbruch in eodem.*

Ita

m. *Ita ſcriptores Danici commemorant,* Saxo Grammaticus *l.9.p.mih. 160.ſeq. et ex eo* Pontanus *l.4. hiſt. Dan.p.115.* LODNECANUTUS *multis parvum, qvibusdam hirſutum denotat. De Alberto Abbate*Stadenſe *obſervandum, huius narrationes plurimum differre a domeſticis Danorum, qvod ultro iis liqvet,qvi ſaltem l.9. ac 10.* Saxonis Grammatici*,et* Stadens. *ad A.861.896.913.921. expendunt atqve comparant. Neqve hic praetermittendum, diverſos eſſe reges Danorum internos ab externis, et ſaepenumero piraticae deditis, qvorum uno tempore plures erant, cuiusmodi nominantur ad A.861. Horig,Ordvvig,Godefrid,Rodulf et Ingvar, Abb.Stad. ad h. A. qvi eosdem tyrannos nuncupat.*

V. Itaqve mei inſtituti eſt,praeterire haec,et commemorare ſtrictim inſigniores Daniae commutationes, ut, qvibus ipſa acceſſionibus olim amplificata, et qvibus contra modis deminuta ſit, ſummatim et veluti ſub uno aſpectu intelligatur. Principio autem qvanta Danorum laus atqve auctoritas tempore Carolingorum fuerit, maxime foederibus cognitum eſt, atqve iis rebus geſtis, qvibus apparuit,tot campos ac maria emenſos, ut firmatis domi rebus qvamplurima apud exteros poſſiderent,et in Galliam delati ac Belgium praedas agerent,ea audacia,qvae oſtenderet, non magis opes, qvam novas ſedes ibi deſtinaſſe: *n* hinc verſi in Angliam, protulerunt ultra veteres fines imperium, et Daniam armis, Norvvegiam iure hereditatis regno adiecerunt: nec intra hos fines iſta habendi cupiditas fuit, ſed qvaeſtu et gloriae appetitu in dies crevit: mox occupatae Saxonum transalbinorum Slavorumqve terrae, et Rugia in poteſtatem redacta, fiduciaqve clientelari Ducibus addicta, qvae longo tempore hac fide nexuqve manſit: praeter has Eſthonia acceſſit, antiqviſſimo Regneri omine,qvi,ut Saxo teſtis eſt,in Curorum Semborumqve oras profectus, capacem fortunae regiae maieſtatisqve animum his gentibus repraeſentaverat ad venerationem usqve et plauſum. Tum vero priſcos Romanos imitati,coloniis hinc inde miſſis,nomen imperiumqve amplisſimum effecerunt, ſimul et commercia, atqve rem nauticam

diligentiſſime curaverunt, tam pollentes nunc atqve clari, ut et reddere infeſtum, et tutum mare poſſent.

n. Arbitror ſane Danos oppugnatione Saxoniae transalbinae, qvam iuxta cum Freſia in patrimonio ſuo deputabant, excitatos inprimis atqve irritatos fuiſſe: V. Abb. Stad. ad A. 768. col. 73. Tametſi diffiteri non debeo, illos multo ante feciſſe piraticam, et infeſtaſſe Galliam iam tempore Franco-Merovingorum, ut ex Gregorio Turonenſe ſupra per id fecimus manifeſtum: auxit adeo offenſam ſaltem expeditio Caroli M. in Saxones transalbinos, ut colligere ſatis licet ex annalibus Francorum ad A. 804. et A. 808. cum Abbate Stadenſe collatis. Perſpicuitatis cauſa hic partiemur memorabiliores viciſſitudines actorum, per annorum ſeculorumqve ordinem. 1. A. 826. ius atqve dominium in Nordalbingica et Freſia imperatoris Ludovici pii beneficio acceperunt. Abb. Stad. ad A. eund. 2. 888. Galliae partem, qvae trans Seqvanam erat, pacto obtinuerunt. Sigebertus ibidem. Qui tamen Dani fuerunt externi, ac potiori parte, ut cenſent, Norvvegi: interni enim nullum in Gallia imperium tenuerunt. 3. A. 876. Northumbriam Angliamqve in ditione ſua habuerunt. Abb. Stadens. ad h. A. Lindenbruch. hiſt. Dan. in Erico II. Frothone VI. et Gormone II. qvo rege iterum defecit Anglia. 4. A. 984. extincto Acqvino Norvvegorum rege, ad Daniam adiunxerunt Norvvegiam: ſiqvidem ille heredem inſtituerat Haroldum Daniae regem, qvi potentiam poſtliminio propagavit usqve in Angliam, et Saxonibus transalbinis, qvos enumerat Bremenſis l. 2. H. c. 8. leges tulit: idem lib. eodem c. 19. Abb. Stad. ad A. 984. 5. A. 1022. Canutus II. adeptus eſt poſſeſſionem trium regnorum Angliae, Daniae et Norvvegiae. Adam. Bremens. l. 2. c. 54. Abb. Stad. ad A. d. et A. 1227. Lindenbruch in Canuto II. 6. A. 1164. Danſvvicum a VValdemaro I. conditum, et ob antiqvam Danorum coloniam valde celebratum, qvod vulgus Dantiſcum extulit. Pontanus hiſt. Dan. ad d. A. et 1210. item chorograph. Dan. deſcript. p. 707. Svaning. Chronol. p. 78. 7. A. 1196. Canutus VI. inſtructa claſſe Livoniam petiit, ac Eſthoniam in poteſtatem ſuam redegit. Cauſam expeditionis in Eſthones ſuſceptae recenſuit ad A. 1175. cuiusmodi erat piratica et ſuperſtitio pagana, qvam prodito ab anteceſſore exemplo evellere porro ex Eſthonum animis, atqve abrogare in ſolidum ſtuduit VValdemarus II. A. 1206. Pontanus ibidem. Qvanqvam Lindenbruch de Canuto II. affirmet, ſubieciſſe eam ſibi. Ceterum a Canuto VI. pleriqve repetunt titulum regis Slavorum, qvandoqvidem is late dominatus eſt in Slavos, et VVagiros Rugosqve imperio ſuo obnoxios habu-

it,

it, his etiam beneficiarium Principem imposuit Iarimarum. Vid. in eo Pontanus: mihi tamen, qvod meminerim, hactenus nullae tabulae sunt antiqvae iuxta et verae, qvibus ille Slavorum titulum sibi addiderit, suppetunt tamen a VValdemaro II. confectae, qvibus is qvidem Danorum Slavorumqve regem se appellavit. Nam qvod alias a Canuto, qvem Obotritorum regem inauguravit Lotharius II. apud Helmold. l. 1. chron. Slavor. c. 49. arcessunt, atqve ex eo derivatum ad Daniae reges existimant, qvodqve nos recensuimus de sententia aliorum in diss. de Orig. Pomeran. §. 7. sub lit. o. minime hic desensum volumus. Nam Canutus ille licet iure regnum Daniae adipisci debuit, praereptum tamen illi a patruo Nicolao est, ut non rex Danorum, sed Obotritorum saltem Lotharii imp. beneficio esset. Helmold. d. l. §. A. 1240. VValdemarus II. leges Cimbricas promulgavit. V. Ioannes Ianus Svaning. in chron. Dan. ad hunc A. Io. Is. Pontanus ad eund. qvi et ibidem ex Vetseldio, cui praeter Hugonem Grotium ipse in historia septentrionali plurimum debet, disserit de legibus Scaniensibus ac Sialandicis VValdemari I. et ut saepe alibi, ita et hic praeclare qvaedam ex actis regalibus ac tabulariis deducit, inprimis diploma Friderici II. ad A. 1204. apud Mezios, ut subscriptio habet, exaratum, qvo VValdemaro II. ius atqve dominium Slaviae, sive Venedorum, (vulgo Vandalorum scribunt) est confirmatum, atqve adeo hic aliena est concessio Lotharii II. Canuto regi Obotritorum facta: Canutus enim, de qvo diploma memorat, huius nominis VI. est et VValdemari II. regis frater, ac in regno Daniae antecessor, qvi nondum Slavorum regis titulum, ut colligo, sumpsit, si maxime ius in Slavia qvaesitum habuit: nec enim in Slavia rex nuncupatur, sed qvicqvid in Slavia acqvisiverat, in diplomate exprimitur, nullo Slaviae regis adiecto titulo, et qvo, haud dubie reverentia imperatoris, abstinuit Canutus VI. Verba diplomatis, qvae forte ignaris afferre dubitationem possent, haec sunt: Et qvicqvid in Slavia rex Canutus (*rex, puta Danorum huius nominis VI.*) comparatum paterno suo labore tenuit, regno ipsius (*id est, VValdemari II.*) addimus, factumqve praesentis privilegii nostri autoritate, et sigillorum principalium impressione confirmamus. *Propterea arbitror, ab hoc tempore primum VValdemarum II. regis Slavorum titulum usurpasse, neqve de eo amplius cum D. Conringio de fin. imp. c. 16. dubito, sed qvoqve nunc non praeter rem affirmo. Verum ius atqve dominium Nordalbingicae iam diu ante a Friderico I. cum bulla aurea VValdemaro I. datum concessumqve tradit Ericus Daniae rex de orig. gent. Dan. A. 1161. §. 1380. coepit coniunctio trium septentrionalium regnorum Da-*

niae, Norvvegiae Svediaeqve: et Daniae qvidem ac Norvvegiae in perpetuum, Svediae autem ad longum tempus, id est, annis 135. ut rationes conficiunt chronolog. Vid. Coron. Svaning. ad h. A. Demum de insigni Eqvitum Elephantini Ordinis addimus, multo recentius esse, qvam ut id ad tempora belli sacri referatur; damus tamen, multis ante seculis et militiae insignia, et praemia virtutis militaris viguisse apud Danos, sed Canuti VI. aevo imagine elephanti illa ipsa distincta fuisse, nullo vero aut probo antiqvo monumento conficias. Propter hanc causam tradit Io. Is. Pontanus chorograph. Dan. descript. p. 770. se instituti huius ordinis leges, et a qvo conditae sint, rescire hactenus non potuisse: neqve affert documenta Pontanus, qvum ibidem p. 769. velut a se dissentiens refert, Philippum bonum insignis istius exemplo instituisse ordinem aurei velleris: ego sane indicia habeo, ultra reges Oldenburgico sangvine ortundos initia ordinis istius qvaeri non debere: sed qvis ex his nominandus autor sit, dissident ab se scriptores, et convenienti ordine alibi proseqvemur, contenti hic meminisse, REGEM potentissimum CHRISTIANVM V. qvi post tot seculorum interiecta intervalla revocat optimos ritus, vigoremqve studiis pristinum reddit, regnumqve suum tranqvillum praestat et felix, condiditqve novo nuper auspicio Ordinem, DANI FRATRIS cognomento celebratum, cuius ut primordia egregia fuerunt, ita faustissima incrementa et successus tanto nomine dignos optamus.

VI. Nunc tandem, ut variaverit regni huius fortuna, et res, qvae raro eaedem sunt, neqve semper procedunt ex voto, praecipites iverint interdum: tum qvomodo restitutae benigniore auspicio fuerint, ac magnitudine imperii et fide subiectorum populorum etiamnum firmentur ac adolescant, scribendum opportune esset, nisi scirem id futurum instituto longius, et iusto volumine alias explicandum. Itaqve hic usu optimum iudico, et officio meo conveniens omnino, suscipere vota pro CHRISTIANO V. eo REGE, cuius et multae cum Domo Saxonica necessitudines sunt, et de laudibus fama omnium sic consentiens, ut propter aeqvum imperium maximus, propter tranqvillam administrationem felicissimus appellari suo iure debeat, et referri in exemplum posteris, praesertim qvod in hoc temporum motu, rerumqve incredibili perturbatione studia pacis sectetur ipse et servet.